

Kreis  
Büren.  
S. 118

1235 Sept. 29.

[15

Das Kloster Böödiken befundet die Verpflichtungen genannter Wachsziñfigen.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Abbatisa, preposita ceteraque concanonice Budicensis ecclesie omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in filio Virginis gloriose. Que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, vel lingwis testium vel litteris perhennantur. Hinc est, quod notum esse cupimus omnibus presens scriptum intuentibus, quod Sveneldis, Reymodis, Ermendrudis et earum filie Adelheydis, Wytburgis, Yda et earum filii Bertrammus, Tymmo, Weldericus, Wylhelmus, Johannes, Hinricus, Elias, Lutmodis, Gertrudis, Conegundis, Greta ad altare sancti Maynulfii pertinent in danda annuali cerea pensione, que pensio est, ut annuatim vel duos denarios altari offerant vel ceram saltem duobus denariis comparatam, et hec oblatio pertinet horum presentibus, preteritis et futuris, taliter eciam, ut liberi sint a qualibet exactione vel infestacione dominorum advocacie presidencium et eciam a nostris officialibus, nisi si quid petitione apud ipsos vel ipsas poterint operari. Insuper uno istorum mortuo vel sex denarios altari nostro offerent vel meliorem vestem defuncti, istud ipsorum opinioni ducimus committendum. Quicumque vero hos denario vel obulo infestarit, se sancti Maynulfii anathematis vinculis innodabit. Datum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXXV<sup>o</sup> in die beati Michaelis archangeli.

Æopiar Nr. 122 mit Überchrift: Littera libertatis quorundam cerocensualium.